

Pierij Val. Delphinus.

nio recenset, Telemachum Vlyssis filium cùm adhuc puer in alto maris littore D
luisaret, in subiectas aquas corruisse, mox Delphinorū beneficio receptum, qui
puerum surrexerint, & exposuerint, idcirco patrē Delphinorum insigne post-
modum studiosius adamasse, eamq; sculpturā & in ensis & scutis habuisse, & in
annulo vsum pro sigillo. Quare apud Lycophronem eum δε λφνθσημον appella-
ri comperias: quod ea etiam de causa fortè dictum existimes, q; Philostratus eū
subsimum fuisse dicit. Delphini vero & simo admodum rostro sunt, vnde ani-
mal repandirostrum, Pacuuio. Et Simonis nomine gaudent appellari, quasi vo-
cem intelligat. Ut verò interim omittamus Arionem Delphini opera & vexta-
tione, de latronum nautarum manib. liberatum: cuius rei testimonium diutif-
simè in Tænaro habitum donarium, ex ære Delphinus cum insidente Arione:
quod argumentum in numis etiam cusum vidi, eum quippe nudum Delphino
vestum, dextera victoriā prætendere, læua lyram sustinere. Prætereamusq; He-
siodi poëta per errorem in templo Nemæi Iouis ab incolis trucidati cadauer,
quod in mare fuerat à percussorib. abiectū, à Delphino inter Locridem & Eu-
bœam expositum. Et Melicertæ corpus, quod in Isthmo Delphinus exposuerat E
inuentum à Sysipho. Virginem quandam Lesbiam vetusti autores tradidere
cum amatore suo demersos in aquam, Delphinorum auxilio incolumes euasi-
se. Veteres deniq; Delphinum tanta veneratione prosequebantur, vt eum neq;
venarentur, neque vlo paeto lardere fas iudicarent: quæ quidem religio in
ætatem vñque nostram propagata est, cùm multos reperias qui Delphinum vel
interficere, vel vesci ea de causa scelus putent, q; quædam illi sint cum humano
genere commercia, promptuariumq; sit nauigantibus auxilium.

B A C C H V S.

Quod verò Delphinū Baccho adpingunt, non solū ad fabulā spectat, sed
etiam ad historiam, q; vinū marina aqua mixtum facilius conferuatur, vt
Columella scribit se ab agricola patruo didicisse. Et Dionysius hac de causa ad
mare fugisse fingitur, quod apud Athenæum habemus. Cur vero aqua maris
ad eo vino conferat, rationem & Plinius & Dioscorides & alij tradidere.

APOLLO DELPHICVS.

AT qui non Neptuno & Baccho solū, verū etiam Apollini Delphines F
dedicantur, multasq; eius aras apud Græcos Delphinis insculptas fuisse,
Plutarchus attestatur. Ad hēc nonnulli addunt, Apollinem Delphini specie ad-
nasce ad Delphos, apud quos præcipue colitur. quāquam & Delphi antea fue-
rant Neptuno sacri, vti Calauria Trœzeniorum insula Apollini, quæ loca mox
dij ipsi inuicem permutarint, vt apud Pausaniam est. De Calauria tamen nescio
quid diuersum tradit Stephanus, cuius opus De gentibus, Hermolaus Byzantius
in compendiū rededit. Quantum verò pertinet ad Apollinem in Delphi-
num transmutatum, Creticum commētum aiunt: illi enim Apollinem totius fa-
lutis autorem celebrabant, neq; quēquam vllum euadere infortunium arbitra-
bantur, nisi Apollinis ope sospitaretur. ad quod fortè tacite respexit Horatius,
Sermonibus, vbi se garruli cuiusdam importunitatē, qui hominē necabat, eu-
fuisse gauisus ait. Sic me seruauit Apollo: quamvis de foro loquatur, quò nuga-
tor ille in ius tractus fuerat. ibi enim erat Apollinis templum. Cretes denique
ab unoquoq; malo liberationem Apollini ferebant acceptam. Nam & q; fabule
fabulantur homines in Delphinos transmutatos, ea de causa confictum aiunt,
quod Delphinis ducibus nautæ seruati fuerint.

PERI